tionum robur eis accommodavimus. *C. de vet. jur. enucl.*

IV. Adhortatio.

§. ult. Summa itaque ope, & alacri ſtudio has leges noſtras accipite, & vosmetipſos ſic eruditos oſtendite, ut ſpes vos pulcherrima foveat, toto legitimo opere perfecto, poſſe etiam noſtram Rempublicam, in partibus eius vobis credendis gubernari. D. *a* CP. XI. Calend. Decembr. D. Iuſtiniano III. COS.

a) *plenè ſic: Datum Conſtantinopoli, undecimo Cal. Decemb. (h. e. 21. Novembr.) Domino Iuſtiniano tertium Conſule, h. e. anno Chriſti 533.*

SVMMARIVM.

Inſtitutionum univerſarum duo ſunt membra majora: I. Prolegomena: de fine Iurisprudentiæ, h. e. de Iuſtitia; & de mediis ad finem iſtum deducentibus, h. e. de jure, ejusque ſummis præceptis ac diviſionibus. lib. 1. tit. 1. & 2. II. *Tractatio ipſa; eáque tripartita*: lib. 1. tit. 2. §. ult. PRIMA, *de perſonis*: à lib. 1. tit. 3. usque ad libri iſtius finem. SECUNDA, *de Rebus*: à lib. 2. tit. 1. usque ad libri 4. titulum 6. TERTIA, *de Actionibus*: à d. lib. 4. tit. 6. usque ad finem.